



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sol Triplex In Eodem Universo**

**Hermann, Amand**

**Sultzbaci, 1676**

Quinta. De Olfactu, & odore.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

ritate & posterioritate instantiam temporis in quolibet enim tempore sunt infinita instantia: Non æqualiter ab omnibus, &c. ut ly primò, & ly secundò dicit prioritatem temporis determinati nego consequentiam; nam sic omnes æqualiter audient loquendo de illis existentibus in quadam certa & debita distantia, in quam sonus sic æqualiter potest agere, de existentibus tamen in majori distantia ab ista, non æqualiter auditur loquendo de prioritate temporis determinati, sæpe enim percipitur ictus & causa soni, quam percipitur ipse sonus, ut in tonitru, explosione tormenti bellici, incendiis ligna, prius videtur fulgur, flamma, elevatio securis, quam audiatur sonus inde proveniens.

**Urgetur:** Sit ista distantia in quam sic determinatè agit corpus sonativum quantitatis sexpedalis & ad instans ultimum terminativum soni primæ partis causationis, incipiat operari in primum pedale, tunc valebit dicere In tempore immediatè ad illud instans produxit sonum in spatio illius pedalis, & productiones istius soni introducti in spatio pedali sunt omnes in illo toto tempore indeterminato immediato, post verò productionem illarum partium soni in spatio pedali ad ultimum instans illarum, immediatè sequentur productiones in secundo pedali, &c. & sic deinceps, sed inter productiones introductas in primo, secundo, & tertio pedali datur prioritas & posterioritas determinati temporis. ergò agit in proximiores primò, & in remotiores secundo, ut ly primò & secundò dicit prioritatem & posterioritatem temporis determinati & perceptibilis. Respondeo ad ultimum instans inceptionis primæ partis soni in prima parte aëris non posse solum incipere agere, & operari in primò pedali cum præcisione, id est solum agendo in illud, sed in toto tempore in spatium illud sexpedale operaretur, licet instantia supra explicata intervenire, unde in forma negatur major.

XXIII.

Quomodo sonus secundum esse reale perveniat ad aures.

**Dico 6. sonus secundum esse reale pervenit ad aures non quod sonus factus in parte aëris commoti commoveat aliquam partem aëris, commovendo & alium sonum realem producendo, sed quia sonus in tali vel tali intensione productus est univoce alterius soni productivum juxta propriam intensiorem, & perfectiorem.**

Prima pars est contra Complutenses existimantes sonum productum in commotione aëris, aërem commotum movere iterum alium in certa distantia, ad modum lapidis in aquam injecti multas circulationes causantis: Quæ proinde probatur, quia ex commotione exiguæ campanæ non potest aër in tanta distantia commoveri, ad quam ejusdem campanæ sonus auditur; sonus factus in vase aëneo auditur neque tamen aër externus commovetur ab aëre interno illius vasis, similiter auditur sonus sub aquis, & tamen ibi nulla apparet commotio nec aëris, nec aquæ, imò si duo, vel tres ex opposito canerent ut evenit in choris & concentibus musicalibus jam commotio, & motus aëris factus ab uno impediret motum alterius, ut videmus in aqua, in quam si duo lapi-

des injiciantur aliquantulum distantes circuli illi occurrentes se mutuo impediunt, & ultra non progrediuntur, consequenter non sentiremus omnium voces & sonos contra experientiam, ergò.

**Probatur secunda pars:** Quia sonus est talis naturæ, ut aliquantulum deficiat à perfectione causæ quantum ad aliquam intensiorem, unde contingit quòd in partibus vicinioribus perfectius audiatur sonus, quam in remotioribus, quia sonus primò productus multum intensus in prima parte in secunda producit alium, in tertia iterum alium secundus, & sic ultra, quare fit, ut si sonus fiat cum magna violentia, fiat quòd longius videtur idonee, scilicet sonus vocis, five alterius corporis sonativus. Et si tibi hæc probatio minus videtur idonee, scito tamen eam ex aliorum dicendi modorum inconvenientia & refutatione manere sufficienter probatam.

**Dices:** Ex secunda parte conclusio sequeretur, quòd sonus in infinitum se seipsum protrahere, quemadmodum de diffusione potest lumen primum, sed hoc est inconveniens, & inauditum, ergò. Sed Respondeo negando sequelam majoris, disparitas est, quia species lucis solum æquivocè productus, non verò univoce, quia species est intentio, & non solum res, sonus verò est sola res, ideo producendo & se realiter multiplicando sonus secundò productus est imperfectior primo, & sic de aliis, quousque pervenitur ad sonum non amplius alterius soni productivum, nam sonus non est alterius soni productivus secundum suam naturam præcisè inspectus, sed solum ut in tali, vel tali gradu intensiorem, ut patet de loquente leviter alteri in fistula, vel aëre. Ex quo deducitur quòd non sit idem sonus qui auditur ab omnibus, sed solum initiativè, & primò productus, unde sunt tot soni quot audientes quare etiam sonus audiri potest, quando non est, nec auditur sonus à longè nisi in quantum est causa soni recepti in aëre, qui conjungitur in aëre connaturali existente in aëre.

## QUÆSTIO V.

De olfactu & odore.

Eadem ferè quæ in quæstione præterita de auditu examinavi, de odoratu sine examine nanda, unde organum investiganti se se primò offert Nasus, qui præter pulchritudinem, quam faciei affert, & utilitatem ad excrementa capite defluentia ejicienda ad sensationem olfactus, aptissimus est, deservit enim attrahendo aërem, quæ attractione panduntur duæ portule immediatæ organo olfactus, per quas odor ingreditur, quare fit, ut non respiratione sentiamus, sed aspiratione, quæ aër attrahitur, inter has portulas reperiuntur duæ tubercula mamillaris simillima, ita ut etiam ob eam similitudinem carunculæ mamillares, seu pupillares vocentur, sub his invenitur os quoddam bipartitum multis foramentis repletum, inter quæ duo alii sunt majora correspondentia nasi foramentibus, quod os propter similitudinem quam habet

habet cum spongia & cribro, cribrum vel os spongiosum appellatur, est à natura provisum ne aer aspiratione attractus cumulatim ingrediatur & cerebrum laedat. Hisce duabus partibus ossis spongiosi correspondent etiam duo meatus alii, qui ad fauces flexuoso ductu protrahuntur. De his omnibus quaeritur, in quonam resideat organum odoratus, ad quod

II. *Organum est in tuberculis.*  
**Dico I.** Organum odoratus residet in tuberculis mamillaribus. Ita Avicenna &c.

**Probatur Conclusio,** tum quia altiore obtinet locum inter omnes alias partes, ad quas conservandas & tuendas videntur aliae à natura subordinatae; tum quia illae partes, seu carunculae mamillares peculiarem habent naturam, figuram & compositionem singularem ad odores percipiendos, tum denique quia nihil congruentius assignari potest, ergo; probatur antecedens, non cerebrum, nam praeterquam quod hoc sit organum sensus interni, videtur esse improporionati temperamenti ad percipiendos odores, cum sit frigidum & humidum, materia verò odoris calida & sicca cum humiditate admixta: Non nervis, quia est eadem ratio de aliis nervis sensoris inservientibus; non tunica & membrana cooperiens carunculas mamillares, si quae ibi etiam invenitur: quia haec per totum nasum est expansa, cum tamen odores non in omnibus, sed in determinata parte sentiamus: Non denique cribrum, seu os spongiosum, quia ossa ob terrestreitatem non sentiunt; ergo nihil melius & congruentius assignari potest.

III. *Cerebrum praecipuum nervorum odoribus.*  
**Dices:** Cerebrum recreatur odoribus, & etiam ab iisdem laeditur; ergo est sensorium odoratus. Respondeo negando consequentiam, quia cerebrum legitur vel recreatur odoribus in quantum habent qualitates beneficas, vel maleficas aëneas, quae odorè quasi semper comitantur.

**Instabis:** Si non esset cerebrum organum odoratus, non esset necessaria aspiratio ad percipiendos odores, sed haec est necessaria; ergo. Respondeo negando sequelam majoris, quia carunculae illae sunt rectae tunicae exangui, quae dilatari debet, ut odores percipiatur, sicut palpebrae contegentes oculos elevari debent, ut fiat visio, dilatantur autem illae portulae aspiratione, quae etiam ratione non percipimus odores ciborum in ore existentium, quia in aspiratione aer per os ingrediens non ascendit ad nasum, sed directè tendit ad laryngem.

IV. *Objectum est odor.*  
**Objectum** potentiae odorativae ab omnibus statuitur esse odor, nam odoratus describitur, quod sit sensus odoris tantum perceptivo, cōtrōvertitur tamē an odor sit substantialis evaporatio, an verò aliqua qualitas accidentalis? Heraclius, Plato & plures antiquiores Philosophi eum esse exhalationē corporis odorati dixerunt. Sed contra

V. *Odor non est exhalatio sed qualitas.*  
**Dico 2.** Odor non est exhalatio fumea corporis odorati, sed qualitas accidentalis de terra specie qualitatis. Ita Aristoteles lib. de sensu. & sensu. c. 5. ubi antiquiores Philosophos refutat.

**Probatur prima pars:** Nulla substantia est per sensum perceptibilis, sed odor percipitur per olfactum; ergo odor non est exhalatio substantialis.

F. Amandi Hermann Physica.

**Probatur secunda pars:** Quia odor abest & adest praeter subiecti corruptionem; remanet idem odor in vino consecrato, qui fuit in non consecrato, sed non remanet substantia ut fides locum habeat, ergo: Denique, verisimile non est aromata tamdiu conservare odorē, si continuo vaporosam emitterent exhalationem substantialem, ergo. Unde licet odores aliquando vocentur ab Aristotele substantiales loquitur tantum in sensu aliorum vel causative, pro quanto scilicet causa prima adaequata odoris nulla potior assignari potest, quam ipsa substantia cuiuscumque corporis odorosi, ad cuius compositionem concurrunt elementa & qualitates primae iuxta diversam & diversam permixtionem & temperamentum iuxta cuiusvis diversitatem diversi & diversi oriuntur odores, sunt enim multi odores ita proprii unius substantiae, quod ex odore valeat inferri esse talem substantiam, unde loquendo de causis odorum, idem ferè ferendum iudicium quod de coloribus. Odor autem bene describitur quod sit: *Describitur*  
*Qualitas orta ex temperamento primarum qualitatum odor.*  
*siccitate & calore aliis qualitatibus predominante,*  
 quod satis experientia constat, tum quia calefactione substantiae odoriferæ facilius emittunt odorem & frigore existente hyemis tempore minus percipiuntur; tum quia regiones calidae optimos proferunt & producant odores, & si odoriferæ substantiae humectentur odore omni spoliantur, quare dicitur quod flores Aegypti minus sint odorosi propter Nili exundantiam & frequentem aerem nebulosum; Et ob hanc causam organum olfactus à natura siccum factum est, quare si humores per catharos è cerebro nimium defluant olfactum vitiant, & ideo etiam dicit Aristoteles ingeniosiores minus pollere odoratu ob magnitudinem & humiditatem cerebri, quae defluens olfactum destruit.

**Dices:** Odores habent operationes substantiales, ergo sunt substantiales; probatur antecedens, quia odores nutriunt & sustentant, narratur enim de quibusdam Indiae populis eos ex solis odoribus florum & pomorum vivere, cerebrum recreant, à deliquio liberant, imò delirium & stultitiam nonnulli causant, aerem corrumpunt &c. ergo. Respondeo negando antecedens, ad probationes & allegata dico, illos effectus praestare in quantum semper, aut frequenter saltem odores conjunctam habent fumeam exhalationem substantialem; Et quod non possint nutrire odores clarè patet, quia id solum nutrit, quod in substantiam nutriti & aliti convertitur, qualiter nullum odorem converti manifestum est, unde fabulosum & fictitium est illud, quod de Indiae populis narratur.

**Dico 3.** Subiectum odoris est tam aer quam aqua. Ita Aristoteles 2. Anim. tex. 97. & 4. hist. animal. cap. 8.

**Probatur prima pars:** Quia qui respiciunt non nisi per attractionem & inspirationem aeris olfaciunt.

**Probatur secunda pars:** Quia pisces in aqua olfaciunt, ubi tamen non est aer & ut piscatores narrat ad expositos odoriferos cibos accurrunt; Imò etiam corpora alia fluida recipere odores possunt, vel per foramina & poros penetrare; imò etiam essent omnia solida,

CCCC adhuc

VI. *Odores non praestant effectus substantiales.*

VII. *Subiectum odoris aer & aqua.*

adhuc aliqui foetores vel odores illa corpora penetrarent ad eum ferè modum quod sonus.

## VIII.

Odores aliquando realiter aliquando intentionaliter perueniunt.

**Dico 4.** Odores aliquando realiter, aliquando intentionaliter ad odoratus organum deferuntur. Hæc non habet difficultatem &

**Probatur prima pars:** Quia ipsa qualitas odorifera ad organum olfactus pertingit, ut dum applicantur flores, aromata &c. naso, quare etiam quædam nocent, quædam verò profunt & conducunt cerebro, quod signum est odores non modo intentionaliter, sed realiter pertigisse.

**Probatur secunda pars:** Quia videtur imperceptibile, quod ad tam magnam distantiam odores ipsi perciperentur & transirent sicut percipiuntur à nonnullis bestiis & avibus, nam ut narrat Albertus 2. de an. c. 25. Vultures & Tyrides factâ strage in Græcia cadaverum odorem sensibile ad quingentas leucas. Confirmatur: Quia alix qualitates emittant suas species intentionales sine sui multiplicatione; ergo etiam odores sic emittere & diffundere possunt.

## IX.

**Dices 1.** Si odores deferrentur per species deberent sentiri ut distantes, sed odores nō sic percipiuntur. Respondeo negando minorē, quia revera toties quoties sentitur per species, sentiuntur ut distantes, licet fortè non ita perfecte sicut percipitur sonus, vel color ut distans.

## X.

**Dices 2.** Quando odores species transmittunt, illæ non deberent impediri à vento, sed odores semper impediuntur à ventis, nam experientia constat, quod quotiescunq; foetores aliqui excitantur, quod in eam propellantur partem, quò ventus vergit, ergo. Respondeo distinguendo minorem, si ventus auferat & pellat etiam qualitates odoriferas productivas specierum concedo minorem; si ventus non auferat, nec extra spheram activitatis propellat negotio minore. Itaq; quando odores exhalant à corpore odorifero, illi exhalati tendunt secundum suam entitatem, quo possunt, si autem contrarium experiantur facile in aliam partem propelli possunt, & sic tunc nequeunt etiam tam procul producere species.

## QUÆSTIO VI.

## De Gustu &amp; Gustabili.

## I.

Gustus est potentia distincta à tactu.

Suppono tanquam certum Gustum esse potentiam distinctam à tactu, nam si verum est, quod Aristoteles ait & docet potentias specificari per actus, actus per objecta, cum hi sensus habeant distincta objecta, habebunt distinctos actus, & consequenter inter se realiter distinctæ, quod autem distincta objecta habeant inde patet, quia gustus habet qualitates secundas, tactus primas; tum quia habent organa distincta, & tandem quàm maximè, quia ablato gustu non tollitur, sed illæsus manet adhuc sensus tactus, quare si Aristoteles gustum quandoq; quandam tactum vocat, intelligendus est in sensu materiali, quasi diceret, ubi gustus est, ibi etiam est tactus, ex eo, quod ille istum præsupponat, quod quidem verum est, nam dum aqua, vel alia res quæcunq; omni sapore carens super organum gustus applicatur illa gustu percipi non poterit,

sed solum per tactum, quia tunc non erit aliquid gustabile. Hoc supposito

**Circa Organum Gustus primò controvertitur,** in quoniam consistat, utpote cum in hoc non pauciora, quàm in aliis interveniant, nam imprimis in ore, ubi Gustus necessario refidet numerantur communiter dentes triginta duo, viginti molares ad cibum conterendum, octo incisores & quatuor canini. Deinde est lingua instrumentum vitiorum & virtutum per quod & Deum benedicimus & maledicimus, quam moraliter simul & Physicè sic describit mellifluus Doctor Bernardus Serm. 17. de diversis de Triplici Cust. *Tenerum membrum Lingua est tamen vix teneri potest: Substantia quidem infirma atq; exigua, sed usu magnum & validum invenit. Modicum membrum est, sed nisi caveas magnum malum. Tenuis est & lata aptissimum sicut haec certum instrumentum, sicut multorum mibi veterum conscientias arbitror attestari &c.* Supra autem de lingua detractoris sic loquitur: *Nec veni manas linguam ipso etiam murtone, quo dominum laum confessum est crudeliorum dicere veretur, sicut enim hæc quoq; Christi Corpis & membrum de membris, nec jam exanime fodit, sed facti exanime fletu.* Dicitis S. Bernardi addendum est linguam etiam esse spongiosam & raram, ut eo facilius humores imbibere possit, estq; contexta tunc perquam tenui, quæ etiam se per totum os extendit. Deinde habet novem musculos, quorum pars una ad dextram, altera ad sinistram dividitur per lineam rectam mediam; in parte inferna adhæret in faucibus sibi valido tanquam basi fundamenti, ubi etiã sunt due carnosæ glandulæ quæ tonsillæ vocantur, & inferunt ad generandam salivam, Palatum verò est pars superior ad modum fornacis modicè concava. Et hæc

**Dico 1.** organum gustu principaliter consistere in cuspide lingue, minus verò principaliter in palato & faucibus. Hæc est D. Augustini Serm. 33. de verbis Domini, ubi ait: *Nihil enim gustabile sapit, nisi lingua & palato tangatur:* & D. Bernardi Serm. 28. in Cantic. Cantic. ubi sic ait. *Sapit in palato, in corde sapientia est.* Et

**Probatur primò Experientia,** quia quotiescunq; aliquid perfecte gustare volumus, tunc illud ad cuspidem lingue applicamus, ut patet in locis lambentibus ciborum condimenta, & vinariis vina probantibus, sicut è contrario quando aliquid gustare nolumus propter acrimoniam, aciditatem, vel aliam contrarietatem, tunc quàm citissime ad ossephagi deferre & trajicere laboramus, ut faciunt illi, qui in medicinis sumendis, vel pertæsi sunt, vel intactu.

**Probatur secundò Ratione,** Quia in cuspide Lingue est caro mollior, subtilior & ad percipiendos saporum aptior; ergo dicendum est quod organum Gustus principaliter ibi refideat.

**Probatur altera pars;** tum quia videtur esse lingua ubiq; ejusdem rationis & naturæ, & palatum saporum recipiendorum & gustandorum aptum; tum experientia, quia cibi grati nō sapiunt nobis solum in cuspide lingue, sed etiam per totam, sicut etiam in palato, unde gulosus non nemo collum gruis sibi exoptavit, ut ciborum dulcedinem diutius sentire posset. *Objectum*